

JOHANNIS VOET

Jcti & Antecessoris in Academia

LUGDUNO-BATAVÂ

COMMENTARIUS

A D

PANDECTAS.

In quo præter Romani juris principia ac contro-
versias illustriores, jus etiam hodiernum, &
præcipuæ fori quæstiones excutiuntur.

TOMUS SECUNDUS.

Coll. m^{ta} *No* Continet octo & viginti libros posteriores. *sequencia*
EDITIO QUARTA



HAGE-COMITUM,

Apud ABRAHAMUM DE HONDT.

M. DCC. XXIII.

Cum Privilegio.

COMMENTARIUS

A D

PANDECTAS,

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De Sponsalibus.

SUMMARIA.

1. *Quid sponsalia? unde dicta? Jure novo solo consensu etiam inter absentes sunt. De sponsalium sponsionibus, & differentiâ inter speratam, pactam, sponsam; deque prœvenietis sponsaliorum.*
 2. *Qui possint sponsalia contrahere, qui non? An iuvenes jure Romano, ac moribus?*
 3. *An & quo modo prodigii jure civili, ac hodierno?*
 4. *De sponsalibus dolo, metu, errore, per ebrietatem contractis. Et quid, si post, discusso errore, metu cessante, dolo detecto, consensus libera repetitus sit?*
 5. *An patris, aut tutorum, aut curatorum consensus requisitus fuerit jure civili, ac moribus? & an pater, aut tutor potuerit sponsalia dirimere?*
 6. *Sponsalia sub conditione iniri possunt. An & quando sponsalia conditionalia per concubitus secutum pura fiant, explicatur?*
 7. *An perduret obligatio ex sponsalibus sub conditione, si parens consentit, initis, ubi pater primo dissensum rogatus declaravit, sed post ad consentiendum inductus fuit?*
 8. *De sponsalibus sub conditione naturâ impossibili vel turpi contractis, an valeant jure civili, canonico, hodierno? & an inita sub conditione turpi deum obligent, si turpis conditio impleta sit, an & si eam puella implere recuset?*
 9. *An expectandum conditionis implementum, si illa non impossibilis aut turpis, sed difficilis sit?*
 10. *De sponsalibus ex die certo vel incerto suspensi, & quando inde ad nuptias agi possit?*
 11. *Si statutum scripturam desideret ad probationem sponsaliorum, & ea desit, an confessio sufficiat, aut jurjurandi delatio admitti possit, aut probatio per quinque testes? quo modo probentur sponsalia, remissive?*
 12. *Qualis veteri & novo jure civili obligatio ad nuptias ex sponsalibus nata fuerit? De actione ex sponsu, dilatione matrimonii ultra biennium, resolutione sponsaliorum sub dispendio*
- arbitrarum. Hodie sponsalia stipulatione penale firmari possunt. Quibus modis refractarius post sponsalia ad nuptias cogi nunc possit? an & tunc, cum matrimonium cum aliâ jam contraxit?*
13. *Quæ fuerint jure civili justæ causæ recedendi impune à sponsalibus, altero invito? ubi de prodigalitate, religionis devotitate, impotentia, ingressu in monasterium, aliisque. Quid hodie in precedenti vel superveniente fornicatione sponsi aut sponsæ statuendum sit?*
 14. *Quid juris, si sponsus ipse stupratorem subornaverit, vel sponsa sponsu peccandi occasionem dolo subministraverit? Quid, si sponsa ante vel post sponsalia vim passa sit, ignaro sponsu?*
 15. *Quenam aliæ moribus nostris sint justæ causæ dirimendi sponsalia, quæ non, paucis recensetur, & monetur, non tam faciles oportere esse Judicibus in sponsaliorum dissolutionem.*
 16. *An filius majorennis, qui jure patrio potest clam parentibus sponsalia contrahere, dirimere possit sic contracta, invito sponsu, sub prætextu dissensus parentum?*
 17. *An minores adversus sponsalia, à se contracta, possint in integrum restitui?*
 18. *An & quando sponsalia utriusque consensu dissolvi possint, quando magistratus tali dissolutioni auctoritatem accommodare debeat vel non? Magistratum id agere debere, ut diu copulatio protrahatur.*
 19. *Sponsalibus dirimtis, an & quando restitui debeant arrhe & sponsalitis largitas jure civili, ac moribus?*
 20. *Quæ pœnæ sint eorum, qui bina sponsalia eodem tempore contracta habent? Quæ potiora sint sponsalia, ubi alia legitima sunt, alia clandestina, ac forte concubitu formata? Quid, si priora & posteriora sint legitima? Quid, si priora conditionalia, posteriora pura? Quid, si priora verbis futuri temporis, posteriora verbis præsentis temporis, ac concubitu formata?*
 21. *Si duabus contractis sponsalibus, sponsa, quæ*